

## De difficultatibus mathematicis

Semper cum Monacum iter facimus illud *museum germanicum* (vulgo *Deutsches Museum*) visitare solemus quod machinamentis et artibus technicis est dedicatum. Multa ibi disci possunt: quomodo vitrum fabricetur, quomodo temporibus antiquis homines altitudine montium et intervallis inter urbes et flumina mensi sint, quae machinamenta sint necessaria ad terrae oleum hauriendum, quomodo prima machinamenta computatoria sint constructa, et multa alia. Ultima occasione conclave novum eius musei invenimus quod arti mathematicae erat dedicatum, ut verius dicam ad theoriam nodorum quae inter provincias geometricas numeratur. In tres dimensionibus problemata illius theoriae simpliciter describi possunt: duo nodi similes dicuntur si lino intacto unus in alterum mutari possit. In eo conclave aliquot exempla nodorum praebebantur ad theoremata abstracta illustranda: visitatores invitati sunt ad experimentis illos nodos similes esse demonstrandum. Curiosa et plena fiducia mei illam provocationem accepi: certe illud aenigma satis facile posset solvi?

Sed conatus mei ad id aenigma solvendum omnino ad irritum ceciderunt: diu eos nodos huc et illuc verti, lina sursum et deorsum movi ad novos laqueos perficiendos, sed frustra: nodis meis satis dissimilibus theoria abstracta contradici videbatur. Suspirans denique illam paginam consultavi in qua multis imaginibus conversio alterius nodi in alterum est descripta, sperans me saltem illis praeceptis adiutantibus aenigma soluturam esse. Sed etiam nunc ii nodi permanebant dissimiles, omnibus conatibus meis obstinate resistentes. Ira ardens contra illas structuras geometricas iterum atque iterum eam paginam sum perscrutata, mecum volutans num profecto tam essem stulta ut ne praecepta simplicia quidem sequi possem. Cum denique irascens ea lina nodata in tabulam reieci illi aenigmati stulto magna voce maledicens risum audivi: ira mea duobus viris quos antea non animadverteram et qui conatus meos ab initio curiose observaverant cachinnum commoverat. Subridens unus eorum manu umerum meum tetigit: *Nihil curare, ars mathematica satis difficile est intellectu*. Erubescens et pudore capta assensa sum, Dis grates agens ut ii viri saltem me professorem artis mathematicae esse ignorarent.